



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum  
Communem Hostem Christianorum**

**Vaux, Léonard de**

**Leodii, 1685**

§. II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

**H**Unniadis, & Scanderbegii; hæquè ac Ladislai affeclæ, imò successores, sunt Reges & Principes Poloni, & Hungari; qui utpotè Turcis, & Tartaris contermini, cum eis-que assiduè Belligerantes, & de inimicis fidei triumphantes, penè solam hanc conficient, si quis eis portionem pecuniæ ad tantum opus necessariæ suppeditet. Imò dumtaxat prænumeret: facilè enim ipsi eam deindè ex victorum spoliis, & Provinciarum, quas subjugabunt tributis refundent. Atque videtur Deus idipsum nuperâ eorum clade, tam insigni victoriâ Christianorum præsignificasse, adeoque inchoasse. Sanè apud Turcas in fatiis est, & certum quasi oraculum, suum Imperium à Polonis evertendum: alii dicunt à Francis, verius fortasse ab utriusque armis conjunctis.

Quocirca hæc præ aliis expedita, viris sapientibus videtur ratio, sine molestia, sine ambitione, & discordia, quæ inter plures intercedere solet omne hoc negotium absolvendi. Polo-



num enim Regem ultrò sequentur non solum Kosaki Turcarum terror, sed & plurimi Nobiles Poloni, Hungari, Germani, Galli, Itali, Walachi, Moschi, & alii plurimi suis expensis, spe gloriæ vel prædæ illecti, imò non pauci, divinâ spe freti, & æternæ coronæ desiderio, protinus ad Bellum Sacrum convolabunt: præsertim, si summi Pontificis auctoritate, Crucis vexillum, per Verbi Divini præcones levetur, & dilatetur per totum orbem Christianum. Sanè à Danubio ex Walachia, quæ Poloniae adiacet, Constantinopolim usque non nisi decem dierum est iter. Quare id ipsum animo designabat Stephanus Battoreus, sapiens æquè ac magnanimus Poloniae Rex, eâque de causâ foedus contra Turcam cum Philippo II. Hispaniarum Rege pepigerat: dictitans se Philippi, in hoc Bello fore stipendiarium: qui si vixisset, utique, unus ille Turcam profligasset, & Imperio exuisset; præsertim Persa ex altera parte eundem invadente. Polono enim & Persa, ex foedere in exitium Turcæ conspirantibus, Turca



resistendo non est; sed succumbat & pereat oportet. Porrò Polonis Turcicum Bellum est necessarium; tum ut Turcam longius à finibus suis submoveant, tum ut perpetuos & furtivos Tartarorum incursus à sese in Turciam avertant; ibique cum utrisque aperto Marte configant, uti nuper, gloriosè & feliciter fecerunt. Poloni ergo & Germani, cum auxiliis summi Pontificis, Regis Christianissimi, & Regis Catholici, Walachiam, Hungariam, cæterasque Provincias nuper à Turcis fraude sibi ereptas, facile recuperabunt.

Sed proh dolor! proh scelus! Christiani in Christianos, ob terræ angulum, ob exile honoris punctum, internecinis odiis & præliis inter se decertant! à Christianis effunditur sanguis Christianus, Christi Sanguine redemptus: madent manus Christianæ Christianorum sanguine, & carnem Christianam, Carni Christi consanguineam conscindunt, mactant, discerpunt? Ubi fides? ubi spes? ubi timor Dei? ubi charitas? ubi Religio Christiana? ubi Philadelphia & amor fra-



ternitatis? Christiani uno Christo Patre, una Ecclesiâ Matre regenerati, uno Pane Eucharistico viventes, una fide, una spe, unâ charitate consecrati, & confociati, unius Dei, unius Religionis vinculo, & Sacramento constricti, sese quasi lupi spoliant, laniant, excarnificant. Hæc videt & in sinu ridet Turca, ac quasi tigris hinnulos de gleba graminis inter se arietantes, occupat, rapit, & devorat: tam lenti audient ista? tam lenti vident Principes Christiani?

Ita est, Christianorum dissidia perdidderunt, & Turcis prodiderunt Asiam, Græciam, Hungariam, aliaque opulentissima regna. Hoc est quod queritur Michæas: Filius contumeliam facit Patri, & inimici hominis domestici ejus, *c. 7.* Et Jeremias: Omnes amici ejus spreverunt eam, & facti sunt ei inimici, *Thr. 2.* Et Sponsa *Cant. 1.* Filii matris meæ pugnaverunt contra me. Prophetæ ad unum omnes vix aliud vaticinantur, dolent, & deplorant, quàm exitium Terræ Sanctæ. Quod ipsa ob fidei, morum, animorum dissidia Chaldæis aliisque infidelibus tradenda sit, adeo-



que omnes Israëlitæ hortantur, orant,  
obsecrant, & quâ vitam corrigendo,  
quâ orando, quâ armis propugnando,  
quâ in unam fidem & sententiam con-  
spirando, tantam Ecclesiæ & Reipu-  
blicæ cladem avertant.

Clamat Osee c. 5. Clangite Buccinâ  
„ in Gabaa, tubâ in Rama, Ululate  
„ in Bethanem. Et Jeremias c. 6. Con-  
„ fortamini filii Benjamin in medio  
„ Jerusalem, & in Thecuâ: Clangite  
„ Buccinâ, & super Bethacarem levate  
„ vexillum, levate signum in terra:  
„ Clangite Buccinâ in gentibus, san-  
„ ctificate super eam gentes.

Idipsum non solis Judæis, sed &  
Christianis insonant: magis enim Chri-  
stianis quam Judæis suas scripsere Pro-  
phetias: atque Christianis Terra San-  
cta magis propria longeque sanctior,  
charior, & venerabilior est, per  
Christum, B. Virginem, Apostolos,  
primitivos fideles, primamque Eccle-  
siam, quæ ibi nata adolevit, seque  
per totum orbem sparfit, & propaga-  
vit. Quid ergo hæremus? quid mo-  
ramur? Prophetis obtemperemus,  
majores nostros æmulemur, fataga-



mus terram Christi, Christo assere-  
re, prima Ecclesiæ prædia illi resti-  
tuere: domicilium SS. Triadis, subla-  
tis execrandis sacrilegiis, illi reddere,  
ejusque laudibus, & incruento ac  
magno Sacrificio Agni Dei, conse-  
crare; qui seipsum, illâ in urbe, Deo,  
uni, trino, dicata; obtulit in holo-  
caustum suavissimi odoris: non pro  
nostris tantum, sed etiam pro omnium  
gentium, pro totius mundi peccatis.

## §. III.

**N**Umquam tanta rei benè geren-  
dæ spes affulsit quanta nunc: vi-  
detur Deus eam ultro Christianis of-  
ferre, & in manus dare, quando, ut  
alia taceam, Turcas animis cadere,  
copiis viribusque minui, internecinis  
agitari discordiis, pavidos regni se-  
ctæque suæ interitum expectare. Chri-  
stianos verò animosos hiscè omnibus  
assurgere, erigi que conspicimus: quan-  
do Catholicos Principes, oppressa vel  
suppressa rebellium hæresi dominari,  
arcto que inter se connubiorum vin-  
culo foederari, ac universos zelo Re-